

onera sine necessitate, non præsuntur ipsi velle ad culpam obstringere, quando sufficit poena ad eos coercendos: et ita huiusmodi leges dicunt a consuetudine interpretari. Verius tamen contradicitur *secunda* sententia, quam absolute tenent Salm., l. c., n. 49, et probabilior *ibi* censent Val. Bon. Dian. Tap. et Vill. Ratio, quia hæc est differentia inter legem *pure pœnalem*, quæ obligat ad solam pœnam, et hæc est, quando in ea tantum pœna assignatur; et legem *mixtam*, quæ obligat etiam ad culpam; et hæc est, quando, ultra pœnam, præceptum adiungitur; ipso enim præcepto tunc creditur Superior velle ad culpam obligare, ne frustra videatur præcipere. » D. de Ligorio, *De leg. dub.* 4, n. 147.

(69. « An legislator potest in materia gravi obligare solum sub veniali? »

« Multi asserunt, et videtur communis (4) sententia. Quia 1. Potestas obligandi, quam habet legislator, est, quoad usum, in ejus libera voluntate, et sic potest eam applicare, prout voluerit. Ergo potest illam applicare ad obligandum solum sub veniali; præsertim cum materia majoris obligationis sit etiam capax minoris, et hoc ad convenientem gubernationem interdum expediat, ne scilicet nimium oneretur conscientia subditorum, qui sufficienter ad talis legis observationem inducuntur per obligationem sub veniali. 2. Multæ leges ac constitutiones Religiosorum, ut Carmelitarum discalceatorum, a SS. Pontificibus approbatæ, obligant solum sub veniali in rebus gravibus, ut jejuniis, abstinentiis, etc. 3. Lex divina solum præcipit, ut pareatur superiori, quantum, et quatenus præcipit, et ab illa oritur obligatio commensurata voluntati superioris. Ergo, si superior leviter exigat, et præcipiat aliquid, etsi de se grave, inde oritur solum obligatio levis, et tunc præceptum censetur formaliter leve. 4. Actus libere agentium non operantur ultra intentionem eorum. (Ergo, etc.) » Ita Antoine, *Theol. Moral.* c. 2, quæst. 3.

(70. « An quando lex requirit aliquam conditionem, sine qua irritet actum, uti lex irritans testamentum sine solemnitatibus, vel lex irritans alienationem bonorum Ecclesiæ sine consensu capituli, obliget in conscientia? *Prima* sententia negat, ut Nav., Covarr., Tap. Sylv., Medin. et alii ap. Salm., e. 2, n. 44 et 103. Ratio, quia tales leges fundantur in præsumptione fraudis, quæ tunc non adest. *Secunda* sententia affirmat quia tales leges non solum fundantur in præsumptione fraudis, sed etiam in periculo illius, quod semper adest. Ita Salm. cum Sanch., Pal., n. 104. Utraque est probabilis, sed *secunda* probabilior. » D. de Ligorio, *loc. cit.*, n. 151.

(71. « Quæritur hic ultimo, quando teneamur tollere impedimenta, vel ea non apponere, quæ obstant impleti legi? Præno-

(4) « Sententia (hæc) affirmans, et si multos, eosque graves patiat adversatores, puta Sotum, Victoriam, Tannerum, Medinam, Bellarminum, etc. longe plurimum tamen theologorum auctoritate præ-

tandum est ad quæstionis solutionem, aliud esse, quod quis non obligetur a lege, sive ab illius obligatione extrahatur: aliud, quod excusetur a transgressione legis, manendo tamen sub ejus obligatione. Unde fit ut dupliciter possis te impedire ab observatione legis; vel apponendo causam, qua extraharis a legis observatione, scilicet si ab hoc loco, ubi est præceptum audiendi sacrum, discedas ad alium, ubi tale præceptum non viget: vel efficiendo opus, quod, licet impediatur te ab observatione legis, non te extrahit tamen a legis obligatione; nempe, si die Dominico discedas a loco sacri ad silvam, ubi, etsi sacrum audire nequeas, ab illius obligatione tamen non extraheris. Deinde notandum est quod contra leges naturales nunquam licet apponere impedimentum, ut ab illius obligatione extraharis: secus autem dicendum de legibus humanis, quæ non obligant cum tanto rigore. Ita sapienter distinguunt Salm. c. 2, num. 158, 159 et 160.

« Hinc inferunt non peccare excommunicationem, si sacrum non audiat, et absolutionem non procuret; nam per impedimentum excommunicationis jam extrahitur ab obligatione audiendi sacrum. Inferunt 2. Non peccat contra præceptum jejunii, recitandi officium, etc., qui sua culpa incidit in infirmitatem, etsi præviderit: nec qui die jejunii, pedestre iter agit, vel multum laborat, ex quo excusetur inde a jejuniis: etiamsi ex pravo fine iter assumat, nempe ad furandum, etc. Ita Salm., c. 2, n. 161, cum Sanch., Medin., Hebr., etc. Sed nos omnino oppositum sentimus cum S. Thom.

« An vero peccet contra legem, qui eo animo id impedimentum apponit, ut a legis obligatione extrahatur, scilicet si fatiget, ut non jejundet? Affirmant peccare Pal., Salas, Med., etc., ap. Salm., c. 2, n. 163, quia nemini debet prodesse sua fraus. Negant tamen peccare contra jejuniis Sanch. Fill. Azor. Vill., etc., quod satis probabilem sententiam vocant Salm., *ibid.*, n. 164, quia tunc ille utitur jure suo, quo potest extrahi ab obligatione legis, in quo nulla est fraus: prout si quis exeat a sua patria, ubi est obligatio jejunandi, ut eximat se a jejuniis. Sed nos tanto potius, juxta sententiam quam mox supra secuti sumus, omnino primam sententiam sequimur.

« Peccat vero contra præcepta naturalia, vel divina, qui prævidens se hominem occisurum in ebrietate, ab ebrietate non abstinet: vel qui non procurat absolutionem excommunicationis tempore paschali; tunc enim urget gravior præceptum radicaliter divinum communionis. Sic etiam peccat, qui se inebriat, vel somno se tradit tempore audiendi sacrum, vel recitandi officium, quia alia præcepta tunc jam eum obligant, neque per eas actiones a præcepto extrahitur. Ita

valet, simulque rationibus magis stipata videtur. » (Philip. de Carboneano in not. ad hanc Antoine quæst.)

Salm., *ib.*, n. 162, cum *communi.* » D. de Ligorio, *eod.*, n. 152.

(72. Quoad legis promulgationem spectat, de qua agit auctor n. 3 et seqq., « quæritur, an leges Pontificiæ, ut obligent, promulgari debeant, non solum Romæ (sive in curia), sed etiam in singulis provinciis? »

(73. « *Prima* sententia affirmat, et hanc tenent plures graves auctores, ut Becanus, *De leg.* qu. 3, num. 5; Nat. Alex., *Theol. lib.* iv, art. 3, reg. 25 (5). *Continuat. Tourn.*, t. II, *De legib.*, sec. 4; Cabassut., *Theor. Jur.*, lib. 1, c. 4, num. 4, cum Medina, Angel., etc., et probabilem vocant Sylvius, tom. II, in 1, 2, q. 96, art. 4, concl. 3; Anacleus, Roncaglia, et alii. Citatur pro hac sententia etiam Cajetanus, sed Cajetanus aliud non dicit (6), quam quod leges canonicæ non obligant ignorantem. Citatur etiam Lessius, sed Lessius, lib. II, c. 22, n. 89, loquitur tantum de legibus quæ contractus irritant. Citatur quoque Dom. Soto, sed Soto *De just.*, l. 1, q. 1, a. 4, potius loquitur de legibus inhabilitantibus, aut revocatoribus privilegiorum. Fautores autem hujus primæ sententiæ principaliter fundantur in authentica mox supra relata, *Ut factæ novæ*, et aiunt quod, ubi non adest specialis dispo-

(5) Natalis Alexander *cit. loc.*, hæc habet: « Lex humana, sive ecclesiastica, sive civilis obligare non videtur, nisi solenni more publicata fuerit in provinciis. Leges enim ita promulgari necesse est, ut in eorum, quibus latæ sunt, notitiam facile perveniant, aut pervenire possint, ut constat ex l. *Leges Sacratissimæ*, c. *Tit. de legibus*, et colligitur ex Innocentio III, cap. *Ad hæc*, ex *De postulat. prælat.*, cujus hæc sunt verba: « Cum constitutio solemniter editur, aut publice promulgatur, non est necessarium notitiam ipsius per speciale mandatum singulorum auribus inculcare, sed id solum sufficit, ut ad ejus observantiam quis teneatur, si eam solenniter editam, aut publice noverit promulgatam. » In omnium porro notitiam facile pervenire non possunt, nisi sint in provinciis, promulgata. Hinc Siricius Pontifex Maximus, Epistola ad Himerium Tarracensem episcopum, decretalem suam in quinque Hispaniæ, vicinisque provinciis promulgari sanxit. « Et hæc, inquit, ad tua consulta rescripsimus, ut in omnium coepiscoporum nostrorum perferri facias notitiam, et non solum eorum, qui in tua sunt diocesi constituti, sed etiam ad universos Carthaginenses, Boeticos, Lusitanos, atque Callaicos, vel eos qui vicinis collimitant hinc inde provinciis, hæc quæ a Nobis sunt salubri ordinatione disposita, sub litterarum tuarum prosecutione mittantur. Et quanquam statuta Sedis Apostolicæ, vel canonum venerabilia definita, nulli sacerdotum Domini ignoscere sit liberum, utilius tamen, et pro antiquitate sacerdotii tui, dilectioni tuæ admodum poterit esse gloriosum, si ea, quæ ad te speciali nomine generaliter scripta sunt, per unanimis tuæ sollicitudinem, in universorum fratrum nostrorum notitiam perfectantur; quatenus, et quæ a Nobis non inconsulte, sed provide, et sub nimia cautela, et deliberatione sunt salubriter constituta, intemerata permaneant, et omnibus in posterum excusationibus aditus, qui apud Nos nulli patere poterit, obstruantur. » Eandem formam præscriptam sunt secuti: eumque morem Novellæ Justiniani pro civilibus legibus præscriptum, in legibus etiam ecclesiasticis promulgandis observari æquissimum duxerunt, ut scilicet non obligarent, donec in provinciis publica auctoritate fuissent promulgatæ. Ipsaque concilia generalia,

sitio legis canonicæ, standum civili, prout infertur ex cap. 2 *De nov. op. nunc*, in quo dicitur: « Sacrorum statuta canonum, principum constitutionibus adjuvantur. » Præterea, inquit, nimis esse durum fideles totius orbis Christiani obstringere ad servandas leges tantum Romæ publicatas. Sed adhuc, juxta hanc primam sententiam, excipi debent bullæ insertæ in Bullario, quoniam hæc sunt jam corpus legum; et in hoc omnes conveniunt, ut testatur cardinalis Petra in *Proœmial.*, c. 4, n. 50 et 54.

(74. « *Secunda* vero sententia, valde communior et probabilior, id negat, tenetque leges pontificias obligare fideles sola promulgatione Romæ peracta; ita Suarez *De leg.*, l. III, c. 16, n. 8; Bonac., *eod. tit.*, d. 1, q. 1, p. IV, n. 10, vers. *Concedo*; Laym., l. I, tract. 4, c. 3, n. 4; Azor., p. 1, l. V, c. 3, vers. *In hac q.*; Castrop. *de leg.*, trac. 3, d. 1, p. XI, n. 4; Carden., in 1 Crisi; d. 9, c. 20, a. 12; Ferrar., *Bibl.*, tom. IV, verb. *Lex*, art. 2, n. 6. Salm., tract. 11 *De leg.*, c. 1, ex n. 86, cum Valent., Navarr., Vasq., Menoch., Pontio, Diana et Salas. Ratio hæc est: Nulli dubium quod lex, ut vim habeat obligandi, debet esse promulgata; alias ad notitiam subditorum pervenire non posset: sed quod ad

decreta sua non aliter obligare, satis aperte significaverunt. Concilium enim Lateranense IV, sub Innocentio III, canone 22, relato cap. *Cum infirmitas*, ex *De penitent. et remiss.* cum præcepisset medicis, ut agros inducerent ad consulendum suarum animarum saluti antequam morbo remedia parentur, addit tamen pœnæ canonice adjectæ non esse locum, donec promulgatio canonis istius facta fuerit ab episcopo diocæsano: « Si quis autem medicorum hujus nostræ constitutionis, postquam per prælatos locorum fuit publicata, transgressor extiterit, tandiu ab Ecclesiæ ingressu arceatur, donec pro transgressione hujusmodi satisfecerit competent. »

Et sacra synodus Tridentina decretum primum *De reformatione matrimonii*, tunc demum vim obligandi fideles habiturum declarat, cum in eorum parochia fuerit publicatum: « Ne vero, inquit, hæc tam salubria præcepta quemquam lateant, ordinariis omnibus præcipit ut, cum primum potuerint, eurent hoc decretum populo publicari, ac explicari in singulis suarum diocæsium parochialibus ecclesiis, idque in primo anno quam sæpissime fiat; deinde vero quoties expedire viderint. Decernit insuper ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis in eadem parochia factæ numerandos. » Unde theologo omnes; et jurisconsulti summo consensu docent decretum illud non obligare, ideoque et matrimonia contra formam in eo præscriptam contracta... rata esse in iis provinciis, et regnis, in quibus promulgatum non fuit. Hinc Panormitanus... Cajetanus... Dominicus Soto... et alii theologo plerique, solam in Romana curia promulgationem non sufficere censent, ut lex ecclesiastica fideles obliget universos, sed necessariam esse per singulas provincias publicationem contendunt. Atque hæc est summa rationum prioris sententiæ.

(6) Verba Cajetani hæc sunt: « Si lex aliqua Romæ publicatur; et non curia ipsa procurat, ut promulgatio ad cathedrales ecclesias deveniat, neque prælati, qui ibi sunt, insinuant suis ecclesiis, accusari, nec apud Deum nec apud homines possunt absentes nesciri. » (In D. Thom., 2, quæst. 90, art. 4.)

promulgationis modum pertinet, hic ab arbitrio, et intentione legislatoris pendet. Hinc observavi (prout etiam Salmaticenses pro certo testantur) quod inter omnes DD. adhuc inter adversarios, non est qui neget opus non esse de sua natura, ut lex obliget, quod in qualibet provincia publicetur, sed satis est quod promulgetur in curia legislatoris, sicut de facto etiam in Hispaniis (scribunt iidem Salmaticenses) leges regiae, eo quod rex ibi non tenetur Cæsareas servare, tantum Matrili promulgantur. Et sic pariter bullae pontificiae, ut plurimum, juxta usum jam receptum, tantum Romae promulgantur locis ibi ad id destinatis; et vigore hujusmodi constitutionum deinde omnes causae ecclesiasticae judicantur. Contra autem Sedes Apostolica, cum vult aliquam legem non obligare, nisi post publicationem factam in provinciis, id exprimit, sicut expressit in *Interdicto ab Ecclesia*, imposito a concilio Lateranensi IV adversus medicos, qui pergunt ad assistendum infirmis, antequam illi confessionem expleverint, ut praecipitur in cap. *Cum infirmitas, De poenit. et remiss.* Et sic etiam expressum fuit a concilio Tridentino, sess. xxiv, cap. 1, circa invaliditatem matrimoniorum clandestinorum.

« Hoc posito, cum Pontifex statuit suas bullas tantum Romae publicari, minime verisimile est, quod ipse non alias provincias, sed solum Romanam obligare intendat. Cum Papa tantum Romanos obstringere vult, solet peculiariter edicta emanare (et haec italico idiomate efformat); sed statuta per totam Ecclesiam condens, eaque solemniter promulgans cum clausulis obligatoriis, procul dubio praesumitur omnes fideles obligare velle, statim ac ipsis notitia pervenerit. Quae notitia facile est, ut e Roma ad provincias perveniat; Romae enim conveniunt omnes fere nationes, et omnes praelati habent ibi suos procuratores, qui ordinario satagunt suos principales de novis bullis, quae promulgantur, certiores facere. »

(75. « Praeterea, quod leges Pontificiae obligent statim ac solemniter promulgantur, id clare deducitur ex cap. 1, *Ad haec, De postulat. praelat.*, ubi dicitur: « Nec sit necessarium cum constitutio solemniter editur, aut publice promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum, vel litteras inculcare; sed solum sufficit, ut ad ejus observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam, aut publice promulgatam. » Notetur « solemniter editam, aut publice promulgatam. » Qui igitur notitiam certam habet de aliqua bulla jam solemniter Romae promulgata, bene tenetur ad eam servandam. Idem satis infertur ex cap. *Quia cunctis* 1, § *Nec obstaret, De concess. praebend.* in 6, ubi habetur: « Lex, seu constitutio, vel

(7) « Sententia defendens sufficientem promulgationem legum pontificiarum in Romana curia, iudice Bened. XIV (lib. xiii *De syn.* cap. 4, n. 1), magis communis est apud DD. Et nempe longe plures, si theologos et canonistas simul computes, suffragantur, partim Italiae ferme universae, partim

« mandatum nullos astringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorundem, aut nisi post tempus, infra quod ignorare « minime debuissent. » Ergo quisque tenetur leges illas observare, quarum notitia jam ipsi pervenit, cum illae jam promulgatae fuerint modo, quo legislator eas promulgare potest.

(76. « Nec est dubitandum, quin Papa adstringere possit omnes fideles ad observantiam bullarum suarum per solum promulgationem Romae factam, sicut quilibet princeps (prout omnes auctores admittunt, ut supra vidimus), obligare suis legibus valet cuncta sua regna per solum publicationem in sua curia expletam. Sed quod magis nostrae sententiae vim praebet, sunt duae clausulae, quae apponi solent in his bullis, quae Romae promulgantur, locisque consuetis affiguntur. Altera clausula sic dicit: « Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam aliter legare valeat, volumus illas ad valvas, etc., affigi, et publicari, sicque publicatas, omnes, et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare, et afficere, ac si unicuique eorum personaliter intimatae fuissent. » Altera dicit: « Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae indignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus tam in iudicio, quam extra illud ubique adhibeatur observantia, ac si unicuique forent exhibitae, vel ostensae. » Haec autem clausulae nimis diserte ostendunt mentem Pontificis esse velle omnes fideles obstringere ad hujusmodi statuta, independentem ab eorum publicatione in singulis provinciis. Et Sylvius, ac Roncaglia, quamvis admittant ut probabiliter primam sententiam, habent tamen ut certum, quod omnes bullae cum praefatis clausulis Romae promulgatae obligent per se absque alia promulgatione (7).

(77. « Caeterum, recte ait Roncaglia quod ex relatis verbis talium clausularum firmum adduci potest argumentum pro primae sententiae probabilitate, respectu ad eas bullas, ubi praedictae clausulae desunt; nihil enim in legibus frustra appositum supponendum, et clausulae illae omnino essent superfluae, si omnes bullae Romae publicatae etiam sine talibus clausulis obligarent ante quamlibet aliam publicationem in provinciis; modo (excipit) in aliquo loco consuetudo non vigeret indifferenter amplectendi bullas Romae quocumque modo promulgatas.

(78. « Querit autem Sylvius, loco supra citato, vers. *Petes*, an episcopi teneantur promulgare, aut satagere, ut alii observent omnia pontificia statuta jam Romae promulgata? Et sic respondet: « Teneri curare ut

« exterarum regionum: quales sunt ex. lo. ex Hispanis Bas, Pontius, Suaresius, et Navarrus; ex Belgis Sylvius et Vanroy; ex Germanis Smalzgruber, Pirhingius, etc. » *Philip. de Carboneano ad Theol. Mor. Antoine*, cap. 2 *De legib.* q. 7.

« observentur, quando Pontifex significat se velle quod sua lex ubique obliget, etiam absque alia promulgatione alibi facta. Non tenentur tamen curare, ut promulgentur, nisi vel mandatum pontificium ad eos dirigatur, vel rationabiliter judicent promulgationem in suis diocesisibus esse necessariam. Nihilominus qui legis notitiam habent, ad eam obligari videntur, nisi illa recepta non fuerit, vel per non usum ejus obligatio desierit. Caeterum, si Pontifex non significet esse opus alia promulgatione, neque mandatum dirigat ad ordinarios, probabile est quod ipsi non tenentur legem promulgare, vel curare ut observetur, nisi fructum notabilem ex talis legis promulgatione in suis diocesisibus expectent. Possunt enim tunc interpretari mentem Pontificis esse, quod lex in diversis provinciis tunc observari, vel promulgari curetur, quando ordinarii existimaverint ita esse pro suis locis expediens, et utile. » Idem scribit Diana in *Summa*, v. *Lex*, n. 18, cum Wigers et Maldero, dicens: « Quando Pontifex non significat opus esse alia publicatione, et non praecipit ordinariis, ut servari eam (legem) faciant, nec populis ut servent, non tenentur publicare, et observari curare, nisi pro loco sperent fructum; nam mens Pontificis generalem legem praescribentis est; ut ubi cum fructu fieri potest, curetur observari. »

(79. « Praeterea probabiliter aiunt Suarez *De leg.*, l. v, c. 33, num. 8, et Layman *eodem tit.*, c. 2, num. 7, cum Molina et Soto, quod leges Pontificiae, quae infirmant aliquem contractum suapte natura validum (prout fecit bulla S. Pii V quoad contractus censuales), vel quae jurisdictionem auferunt, v. gr. in sacramento poenitentiae, circa has benigne interpretari possumus, mentem esse Pontificis, quod nolit eas effectum habere, nisi postquam fuerint in diocesisibus promulgatae; alioquin ipsae redundarent in detrimentum plurimorum, qui illas invincibiliter ignorant.

(80. « Secus autem est respectu poenarum, quae statuuntur adversus clericos male ordinatos, et episcopos male ordinantes, prout Sixtus V declaravit (praesertim quoad simoniace promotos, et promoventes, nam quoad alios bulla Sixti per aliam bullam Clementis VIII, 40 *Romanum*, fuit reducta ad terminos concilii Trident.). Sicut etiam secus procedit in legibus irritantibus actum aliquem ob defectum solemnitatis; quae leges, postquam obligandi vim habuerunt, etiam respectu ignorantium valent, ut dicunt Sanchez, *De matr.*, l. iii, d. 17, et l. ix, d. 32, num. 2, ac Laymann, *loc. cit.*, cum Navarr. et aliis. » D. de Ligorio, *De nat. et obligat. legis*, cap. 1, n. 96.

(81. « Queritur (amplius) an, ut lex obliget, requiratur spatium duorum mensium a promulgatione? Tres sunt sententiae. *Prima* dicit statim obligare. Ita Salas, Vasq., Villal., etc., apud Salm., cap. 1, num. 89. Ratio, quia lex, cum promulgatur, jam in suo esse integro constituitur. *Secunda* dicit obligare statim, vel quasi, saltem existentes in

curia, alios autem non obligare, nisi post sufficiens tempus, plus minus, juxta distantiam locorum. Ita Palaus, tract. 3, d. 1, part. xi, num. 7; Suar., lib. iii, cap. 17, a num. 7. Item Montes., Gran., etc., ap. Salm., n. 90. *Tertia* sententia probabiliter dicit, quando in lege non determinatur tempus ad obligationem, nullos obligare, neque in curia existentes, nisi post duos menses a promulgatione; sed transactis duobus mensibus, jam arbitrio prudentum taxatis, omnes obligare. Ita Soto, *De just.*, lib. ii, quaest. 1, art. 4; Bonac., tom. III, cap. 6, concl. 2, n. 3; Sa, v. *Lex* n. 8; Sylvest., *cod. verb.*, quaest. 6, et Salm., n. 91, cum Valent., Reg. Men. Tab. et aliis. Ratio, quia lex non obligat, nisi ejus notitia moraliter ad omnes subditos pervenire possit, ut eruitur ex l. *Leges*, c. *De leg.*, ubi: « Leges sacratissimae intelligi ab omnibus debent, ut universi, praescripto earum manifestius intellectu, prohibita declinent. » Et ex cap. *De concess. praeb.*, in 6, v. *Nec obstat*; ibi: « Lex, seu constitutio, et mandatum nullos adstringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorundem, aut nisi post tempus intra quod ignorari minime debuissent. » Hoc autem tempus, quo lex humano modo pervenire possit ad aures subditorum, taxandum est arbitrio prudentum, hocque arbitrium jam taxatum habemus in auth. *Ut facta*, etc., uti supra dictum est. Ergo illi standum, ubi tempus non est determinatum. » D. de Ligorio, *loc. et n. cit.*

Sed haec hactenus.

ARTICULUS III.

Lex quoad ea quae concernunt personas ad ipsam obligatas.

SUMMARYUM.

1. Ad leges Ecclesiae obligantur omnes Christi fideles. — 2. Ad tales leges obligantur infantes, seu pueri post septennium in iis quorum materia eorum aetati est conveniens. — 3. Imo ad tales leges in iis, quorum materia eorum aetati est conveniens, secundum multos, obligantur etiam infantes, seu pueri habentes perfectum usum rationis ante septennium. — 4. Alii tamen tenent contrarium. — 5. Pueri, et puellae post septennium completum, et ante pubertatem, id est ante annum 14 completum in masculis, et ante 12 in feminis, possunt incurrere excommunicationem latam in eos, qui ingrediuntur monasteria monialium. — 6. Et sic dicendum est de puellis, quae in simili aetate ingrediuntur monasteria, seu conventus virorum. — 7. Etiam probabilis est tales impuberes incurrere excommunicationem latam in percussores clericos. — 8. Item valde probabile est tales impuberes incurrere alias censuras a jure, vel ab homine latas. — 9. Amentes non perpetui, sed delirantes per intervalla tantum, sicuti et ebrii, obligantur ad leges humanas. — 10. Non tenentur tamen ad ipsas humanas leges amentes perpetui. — 11. Ad leges et statuta infer. praelator. et alior. superiorum obligantur solum subditi proprii territorii: v. addit. in fine. — 12. Imo neque ad tales leges tenentur subditi, quando actu existunt extra territorium legislatoris. — 13. Legislator humanus tenetur ad proprias leges, in quibus continetur jus naturale, vel divinum. — 14. Legislator humanus monarchicus non tenetur suis legibus, quoad vim coactivam, neque quoad vim directivam directae, sed tantum indirecte. — 15. In legibus duplex vis